

conjugē fideli. Ea ipsa tamen arctiore p̄ae caeteris compede  
 ab itinere, quod aggressi eramus, retardabatur. Nec Chri-  
 stianum esse alio modo se velle dicebat, quam illo, quo non  
 poterat. Benigne sane obtulit, ut quamdiu ibi essemus, in  
 rure ejus essemus. Retribues illi, Domine, in resurrectione  
 justorum, quia jam ipsam sortem retribuisti ei. Quamvis  
 enim absentibus nobis, cum Romae jam essemus, corporali  
 aegritudine correptus, et in ea Christianus, et fidelis factus,  
 ex hac vita emigravit: ita misertus es non solum ejus, sed  
 etiam nostri, ne cogitantes egregiam erga nos amici huma-  
 nitatem, nec eum in grege tuo numerares, dolore intolerabili  
 cruciaremur. Gratias tibi, Domine Deus noster; tui sumus:  
 indicant hortationes et consolationes tuae, fidelis promissor,  
 reddes Verecundo pro rure illo ejus Cassiciaco, ubi aestu  
 seculi requievimus in te, amoenitatem sempiterne virentis  
 paradisi tui; quoniam dimisisti ei peccata super terram, in  
 monte incaseato, monte tuo, monte uberi. Angebatur ergo  
 tunc ipse, Nebridius autem collaetabatur. Quamvis enim  
 et ipse nondum Christianus in illam foveam perniciosissimi  
 erroris inciderat, ut veritatis filii tui carnem phantasma  
 crederet, tamen inde emergens sic sibi erat, nondum ullis  
 Ecclesiae tuae sacramentis imbutus, sed inquisitor ardensis-  
 simus veritatis. Quem non multo post conversionem nostram,  
 et regenerationem per baptismū tuum, ipsum etiam fidelem  
 Catholicum, castitate perfecta, atque continentia tibi servientem  
 in Africa apud suos, cum tota domus ejus per eum Chri-  
 stiana facta esset, carne solvisti, et nunc ille vivit in sinu  
 Abraham. Quicquid illud est, quod illo significatur sinu, ibi  
 Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem,  
 Domine, adoptivus ex liberto filius, ibi vivit. Nam quis aliis  
 tali animae locus? Ibi vivit, unde me multa interrogabat  
 homuncionem inexpertum. Jam non ponit aurem ad os  
 meum, sed spirituale os ad fontem tuum, et bibit, quantum  
 doteſt, sapientiam pro aviditate sua, sine fine felix. Nec